

diffinitivam, efficitur infamis; secus de interlocutoria. — Secundo differunt: quia condemnatus de aliquo crimine per sententiam diffinitivam, efficitur infamis, l. I. § Qui in iudicio. ff. De his, qui notantur infam. Secus dicendum de interlocutoria, utpote per quam infamia non irrogatur. Textus est in l. Quid ergo. § Quantum, juncta Glossa. §. sint elocuta. ff. eod.; Maranta loc. cit. n. 4. allegans alios.

33. Sententia diffinitiva semel valide prolata, a iudice revocari nequit: bene tamen interlocutoria. — Tertio differunt: quia sententiam diffinitivam semel a iudice prolata, dummodo valida fuerit, ab eodem revocari nequit, l. Hac lege c. de Sententiis ex breviculo recitand. et l. Judex. ff. de Re iudic. et can. Quod bene. 6. q. 4. et c. In litteris. 9. de Offic. delegat. Secus est de interlocutoria: nam hæc ante subsecutam diffinitivam potest a iudice revocari; per textum in l. Quod iussit. ff. de Re iudic. ubi summarium ex Bartolo sic ait: « Judex potest suam sententiam interlocutoriam revocare, sed non diffinitivam. » Idem tenet Speculator cit. tit. de Sententia, § Qualiter. n. 10; Sigism. Scaccia, de Sententia, Glossa 14. quæst. 4, n. 36; Maranta, ubi supra, n. 7. et 21. et alii.

34. Et quæ ratio disparitatis? Judex postquam semel dixit sententiam diffinitivam, iudex esse desinit. — Ratio disparitatis est: quia « Judex postquam semel dixit sententiam (diffinitivam) iudex esse desinit, ut amplius sententiam suam corrigere non possit, (quamvis pluris, vel minoris condemnaverit) semel enim sive male, sive bene, officio functus est; » uti dicitur cit. l. Judex. ff. de Re iudic. E contra vero, si iudex tantum dedit sententiam interlocutoriam, is adhuc remanet iudex in dicta causa, donec eam terminet per sententiam diffinitivam.

35. Istud intelligendum est non solum de delegato sed etiam de ordinario; et quomodo? — Nec dicas, hanc disparitatem solum urgere respectu iudicis delegati; non vero respectu iudicis ordinarii; utpote qui adhuc post sententiam a se latam remanet iudex: cum ipsi firma remaneat sua jurisdictio ordinaria. Resp. enim negando assumptum cum suæ probationis consequentia. Quia, ut in simili notat Jason l. Quod iussit. n. 26. ff. de Re iudic. licet tunc iudici ordinario firma remaneat sua jurisdictio quoad alias causas; non tamen quoad illam, in qua tulit sententiam diffinitivam, saltem valide: ac proinde etiam

respectu ordinarii, verificatur dictum illud; « iudex postquam semel dixit sententiam, iudex esse desinit. » etc.

36. Judex ordinarius nequit revocare sententiam, quæ existit valida, licet, orsan sit iniqua: potest tamen revocare sententiam suam, quæ ipso jure est invalida. Idem dicendum de delegato ad universitatem causarum. — Additur notanter, « saltem valde. » Nam prædicta procedunt, quando sententia diffinitiva iudicis existit valida, seu non est contra jus constitutionis; licet forsitan sit iniqua, sive contra jus litigatoris, seu partis. Quod si vero sententia ejus ipso jure sit invalida, et nulla (de quo plura inferius h. t. n. 70. et seqq.) potest iudex ordinarius eam revocare, causamque denuo cognoscere; ut l. I. ff. de Sentent. et interlocutionum omn. iudic. et l. Si accusatoribus. ff. de Accusation. cum similibus. Et hoc idem dicendum est de delegato ad universitatem causarum: quia censetur quasi ordinarius; prout uberius dictum est supra lib. I. tit. XXIX. De officio et potestate iudicis delegati. § 3. n. 62. et 63.

37. Sed delegatus ad causam particularem, nequit revocare sententiam diffinitivam, etiam invalidam: et quæ ratio disparitatis? — Secus dicendum de delegato ad causam particularem: nam talis, sive bene, sive male pronuntiaverit, seu teneat, seu non teneat sententiam, non potest amplius pronuntiare, dictamque sententiam diffinitivam revocare; siquidem illico « ejus auctoritas, et jurisdictio cessat, quia semel est officio suo functus; » prout dicitur cit. c. In litteris. 9. de Officio delegat. Concordat textus in l. Si (ut proponis), part. IV; juncta Glossa ibid. §. Commisit. et Bartolo in Summario. c. Quomodo et quando Judex, etc. et docet Abbas c. Qualiter et quando, 17, n. 4 et 5, de Accusation. Ratio diversitatis est, quam dat Glossa marginal. in fin. cap. ult. h. t. quia nimirum jurisdictio ordinaria est naturalis et favorabilis; ac proinde magis eidem defertur, quam delegatæ; Joan. Andreas cit. cap. ult., n. 9, h. t.; Pirhing de Offic. delegat. n. 156. et 157.

38. A sententia diffinitiva potest regulariter appellari, non ab interlocutoria. — Quarto differunt quoad illum notabilem effectum, quod a sententia diffinitiva regulariter possit appellari; non autem ab interlocutoria, nisi habeat vim diffinitivæ, aut contineat damnum irreparabile. Patet hoc ex l. An sententiam. Quorum appellationes non recipiuntur,

juncta Glossa §. Discussore, nonnullas limitationes afferente. Concordat concilium Tridentinum, sess. 24. cap. xx. de Reformat. ubi novissime sic statuit: « Neque appellationes ab eisdem (ordinariis locorum) interpositas per superiores quoscunque recipiantur, nisi a definitiva, vel a definitivæ vim habente, et cujus gravamen per appellationem a definitiva reparari nequeat. » Hoc ipsum, una cum pluribus aliis notabilibus, amplius declaravit sacra episcoporum congregatio, die 16. octobr. 1600. edita, et a Clemente VIII. approbata, quam per extensum refert Aloys. Riccius part. I. Praxis. resol. 414. et Quaranta in summo Bullarii §. Archiepiscopi auctoritas. in Addit. atque infra tit. seqq. § 7, n. 267. referetur. Tacentur aliæ differentie inter sententiam diffinitivam et interlocutoriam assignabiles, de quibus Maranta, ubi supra, et alii: nam præmissæ sunt cæteris notabiliores.

§ II.

QUANDO, ET QUO MODO, AC LOCO, PREFERENDA SIT SENTENTIA? UBI ET DE CONCLUSIONE IN CAUSA.

39. Sententia ferenda est intra tempus a jure præscriptum; et quale sit istud? — Quæritur I. Quando a iudice preferenda sit sententia? Resp. I. Sententia ferenda est cum primis intra tempus a jure præscriptum. Et quidem spectato rigore juris civilis, causæ civiles (exceptis causis fiscalibus, et publicarum functionum) debent terminari intra triennium a tempore litis contestatæ numerandum, l. Properandum. c. de Judiciis. Causæ criminales vero intra duos annos, pariter a contestatione litis computandos, terminandæ sunt, l. ult. c. Ut intra certum tempus, etc. Quin et novissime concilium Tridentinum, sess. 24. cap. XX. de Reformat. voluit, ut omnes causæ ad forum ecclesiasticum spectantes, in prima instantia saltem infra biennium a die motæ litis terminentur; alioquin vero liberum sit partibus competente, judices superiores adire.

40. Post lapsum biennii, vel triennii, an pereat instantia. — Cæterum id, quod habetur cit. l. Properandum. § 1. c. de Judic. et l. ult. c. Ut intra certum tempus, etc. nempe quod post lapsum biennii, vel respective triennii, pereat instantia, non procedit de jure canonico, per textum in c. Venerabilis.

2. de Judiciis. Ubi pontifex expresse mandat iudici a se delegato, ut lapsu triennii non obstante, procedat in causâ sibi commissa: ac notat Glossa ibid. §. Non obstante. et Abbas n. 5 et 6. et Barbosa in collectan. n. 2. citans complures alios; estque jam dictam supra lit. 1. De Judiciis. § 1 n. 31 et 32.

41. Judex tenetur causas matura deliberatione examinare, et sententiam non precipitantè ferre. — Resp. II. Judex tenetur causas matura deliberatione examinare, et sententiam non nimia festinatione ac precipitantia ferre. Ita communis. Atqui istud suadet tum ratio naturalis, et æquitas ipsius iudicii, quæ præcipiti prolacione sententiæ facile læderetur: tum textus in can. Apostolica. 35. quæst. 9. ubi de Apostolica Sedis sententia dicitur, quod « tanta semper consilii moderatione concipitur, tanta patientiæ maturitate decoquitur, tantaque deliberationis gravitate profertur, ut retractione non egeat; » cum similibus. Unde quod sententia incautus, seu per Judicem de meritis ipsius causæ nondum plene instructum prolata reformari debeat, liquet ex c. Tum ex litteris. 5. De in integrum restitut. juncta Clem. Pastoralis. § Verum. h. t. et alibi.

42. Et sententia lata a iudice ignaro de meritis causæ, est ipso jure nulla. — Quinimo si apparet, quod sententia fuerit lata a iudice ignaro de meritis causæ (ut puta, si tantum legit acta unius partis, ex quibus sufficienter de meritis causæ instrui non potuit; aut si de sero recepit multa acta intricata, et de mane statim tulit sententiam) tunc sententia est ipso jure nulla, utpote lata sine causæ cognitione. Abbas c. Dudum. 22. n. 5. de Election. et cit. c. Tum ex litteris. n. 6. De in integrum restitut. post Bartolum in l. Prolatam. c. de Sentent. et interlocut. omn. iudic. istud probans ex c. Ecclesia sanctæ Mariæ. 10. §. fin. de Constitut.

43. Ad sententiam diffinitivam debent præcedere termini substantiales. Atque admitti probationes necessariae. — Resp. III. Insuper ad sententiam diffinitivam debent saltem præcedere termini substantiales. Fagnanus c. Dilectus. n. 38. de Rescript. post Rotam decis. 1278, part. III. divers. Neque debet iudex, etiam in iudicio summario, ita litem abbreviare, quin probationes necessariae, et legitimæ defensionis admittantur. Clem. Sepe contingit, de verb. signif.

44. Sententia non est ferenda, quando causa adhuc est dubia, licet tempus datum ad senten-

tiandum jam sit in fine. Et quid tum agendum? — Quinimo sententia non est ferenda, quando causa adhuc est dubia, licet tempus datum ad sentiendum sit in fine. Abbas c. Super eo. 42. n. 17. de Appellat. Ubi proin subjungit, quod tunc aut fieri debeat de consensu partium prorogatio in aliud tempus, juxta c. De causis. 4. de Offic. delegat. Vel ipsamet tota causa indecisa remittatur ad superiorem: alioquin enim grave esset, in re dubia certam ferre sententiam, can. Grave. 11. q. 3.

45. Judicem oportet usque ad sententiam cuncta rimari. Et jurgantium controversias celeri sententia terminare. — Insuper judicem oportet usque ad sententiam cuncta rimari, c. Cum Joannes. 10. de Fide instrument. (aliter enim ad veritatem perveniri non posset, can. Occidit. 23. q. ult.) ac proinde non antea ferenda est sententia, quam judex de meritis causæ debite possit esse instructus. Idque fieri censetur, postquam a partibus conclusum fuerit in causa, juxta proxime dicenda. Et in hoc sensu accipiendum est, quod dicitur cap. II. h. t. ibi: «Jurgantium controversias celeri sententia terminare, et æquitate convenit, et rigori;» prout notat Glossa un. ibid. Sive, quod indicis sit, conari, ut quam citius fieri potest, controversiæ litigantium finiantur: servatis videlicet debitis requisitis, sive solemnitatibus juris; juxta dicta superius lib. I. tit. XXXII. de Officio Judicis. n. 65. et 66.

46. Ad diffinitivam sententiam est deveniendum, quando ab utraque parte conclusum est in causa. — Resp. IV. Tum demum ad diffinitivam sententiam, et celerem terminationem litis, deveniendum est, quando allegatis et probatis hinc inde ex parte actoris et rei omnibus, quæ ad suam causam et intentionem fundandam spectare judicaverint, ab utraque parte in causa conclusum fuit. Ita Vallensis h. t. § 3. n. 1. Engel, n. 1. et alii. Idque habetur clare can. Judicantem. 30. quæst. 5. ibi: «Judicantem oportet cuncta rimari, etc. Nec litigantibus judex prius velit sua sententia obviare, nisi quando ipsi jam peractis omnibus nihil habeant in quæstione, quod proponant.»

47. Intelligendo istud in judicio ordinario; secus in summario. — Intellige tamen hoc de judicio ordinario, de quo ex professo nunc sermo est. Nam in summario, ubi simpliciter et de plano proceditur, potest judex ferre sententiam etiam conclusione a partibus

non facta, si ei ita videbitur expedire, Clem. Sæpe contingit. § Sententiam. de Verb. signif. in 6. ibi: «Sententiam vero diffinitivam (citatis ad id, licet non peremptorie, partibus) stans, vel sedens proferat: etiam (si ei videbitur) conclusionem non facta, prout ex petitione, et probatione, et aliis actibus in causa fuerit faciendum.» Hæc ibi, loquendo de judicio summario.

48. Conclusio in causa non est de substantia processus judiciarii. Quid circa eam observetur in camera imperiali? — Addit Glossa ibid. § Conclusione, alicubi in judiciis sæcularibus non fieri conclusionem hujusmodi. Unde quod conclusio in causa non sit de substantia processus judiciarii, sed absque vitio nullitatis omitti possit, post Glossam loc. cit. tenet Abbas c. Cum I et A, n. 12 h. t. Joan. Andreas in addit. ad Speculatorem. tit. de Renuntiat. et conclus. a princip.; Maranta part. IV. Speculi aurei, dist. 9, n. 23; Gailus lib. I. Practic. observat. 107, n. 1. asserens conclusionem hujusmodi, etiam de causis ordinariis, magis de consuetudine, quam substantia processus esse: quamvis addat, in camera nullam sententiam publicari, ne interlocutoriam, quidem, nisi in causa legitime conclusum sit: ita tamen, ut parte alterutra concludere nolente, judex ea invita usque in contumaciam, ex officio causam pro conclusa acceptare, et in principali pronuntiare possit; dummodo parti ad concludendum sufficientes dilationes concessæ fuerint. Occasione cujus.

49. Conclusio in causa, quomodo fiat? Ea potest fieri tam oretenus, quam scripto, imo et tacite. — Quæritur II. Quomodo fiat conclusio in causa? Resp. I. Conclusio in causa potest fieri tam oretenus, quam scripto, cum nulla certa solemnitas a jure sit præscripta: quin imo non solum expresse, sed etiam tacite potest in causa concludi, quando nimirum partes nulla formali facta renuntiatione ulteriorum probationum, simpliciter ab his desistunt atque a judice sententiam postulant.

50. Conclusio in causa passim confunditur cum renuntiatione probationum. — Quamvis conclusio in causa videatur differre a renuntiatione ulteriorum probationum, arg. c. Pastoralis. 5. de Causa possess. et propriet. ibi: «Antequam renuntiatum sit, aut conclusum in proprietatis judicio:» ubi dicto, «aut,» videtur denotare diversitatem quamdam. Nihilominus in praxi hodie passim confunditur renuntiatio probationum cum

conclusionem in causa, arg. clem. un. h. t. ubi de sola conclusionem fit mentio.

51. Strictè tamen differunt: et in quo? — Fatendum tamen, quod si «Renuntiatio» probationum strictè accipiatur, tunc ea fiat, quando partes renuntiant ulteriori productioni testium tantum: «Conclusio in causa vero (quæ etiam renuntiatio) large dici potest) quando partes, renuntiatas quibuscunque allegationibus, totam causam cognitioni et decisioni judicis submitunt. Abbas c. Pastoralis. n. 7, h. t.; Pirhing, h. t., n. 40, et Glossa in c. Cum dilectus. § Conclusum. de Fide instrument. ubi ait: «Conclusum, id est, renuntiatum allegationibus, et omnibus aliis probationibus.»

52. Vulgaris formula concludendi in causa, quæ? — Resp. II. Vulgaris in causa concludendi formula est, quod partes in ultima sua scriptura addere soleant, quod hisce in causa concludere, seque ad sententiam submittere velint. Solet etiam quandoque judex interrogare litigantes, an habeant adhuc aliquid ad proponendum: et siquidem negative respondeant, jubet eos utrinque ulterioribus probationibus renuntiare, et in causa concludere; quæ proinde renuntiatio, et conclusio, confestim actis inseri debet, c. Quoniam de Probation.

53. Quid, si una pars concludat in causa, et altera adhuc aliquid proponere velit? — Quod una parte probationibus renuntiante, seu concludente in causa, pars altera sese adhuc aliquid ad proponendum habere dicat, audienda erit: nihilominus, ne lites nimium, et quandoque malitiose protrahantur, statuet judex competentem terminum, intra quem illud allegari, et probari debebit. Ita desumitur ex Auth. Jubemus. c. de Judiciis; ubi quoad hoc conceduntur tres successive delationes, quarum singulæ continent triginta dies: quibus elapsis judex non amplius expectare, sed sententiam legere, et consuetudini conformem ferre debet; ut ibidem subjungitur. Vallensis, h. t., § 3, n. 1; Engel, h. t., n. 1, et alii.

54. Conclusio in causa solet nonnunquam fieri conditionate: et cur? Conclusio in causa in causa nonnunquam fieri conditionate: ut puta, protestando, quod non aliter velit quis concludere in causa, nisi et adversarius concluderit nihilque novi in ultima scriptura posuerit: aut conclusioni suæ expresse adjiciendo hanc conditionem, «Nisi novæ pro-

bationes, vel nova instrumenta reperiantur:» prout notat Engel, cit. n. 1. Nec immerito hujusmodi cautela quandoque adhibetur: nam alioquin, postquam a partibus in causam conclusum fuit, ante sententiam nulla admittitur nova exceptio, vel probatio; ut c. Cum venisset. 25. et c. De testibus. 29. de Testib. juncto c. Cum dilectus. 9. de Fide instrument. Hinc Mascardus, de Probation. quæst. 17. præem. n. 44. ait, quod «Conclusio in causa partibus os obstruit, et claudit, ut probationibus nullus amplius relinquatur locus.»

55. Nisi ex justa causa, vel æquitate, videantur judici novæ probationes admittendæ. — Intellige, nisi ex justa causa, vel æquitate sic suadente, judici videantur novæ probationes admittendæ; ut est textus in c. Pastoralis. § penult. et ult. de Causa possess. Sic quippe in causis capitalibus, ad probandam innocentiam rei possunt novæ probationes, testes ac defensiones, recipi etiam post conclusionem in causa, ne innocens condemnetur. Idem fit in causis beneficialibus, et matrimonialibus: idque propter animarum periculum, ne videlicet vel legitimi conjuges separentur, vel quis per subreptionem ad beneficium, aut dignitatem ecclesiasticam ascendat. Mascardus, loc. cit. n. 45. et seqq.

56. Judici nunquam concluditur in causa. Potestque conclusionem in causa revocare. — Quinimo quoad judicem nunquam concluditur in causa: ac proinde judex ex officio post conclusionem in causa potest partes interrogare de facto, quoties aliqua occurrit dubitatio; cum usque ad prolationem sententiæ debeat universa rimari, c. Cum Joannes. 10. de Fide instrument. Qua de causa judex potest etiam conclusionem in causa revocare, novasque probationesmittere, vel posteriores injungere partibus. Gailus, lib. I. Practic. observat. 107, n. 5. Jason; in Repet. l. Admonendi n. 61 et 62, ff. de Jurejurand. cum aliis. Concordant dicta superius tit. XIX. de Probationibus, § 6, n. 170 et 177.

57. Requisita sententiæ diffinitivæ alia respiciunt solemnitatem judicalem, alia ordinatam causæ cognitionem. Quo modo et loco, proferenda sit sententia diffinitiva. — Quæritur III. Quo modo, et loco, proferenda sit sententia? Ubi prænotandum cum Ludov. Engel, h. t., n. 6. et aliis, quod requisita sententiæ diffinitivæ alia respiciant solemnitatem judicalem, seu modum, quo ipsa solemniter est promulganda: ut puta, quod proferatur par-

tibus antea citatis, iudice sedente pro tribunali, etc. et de his impræsentiarum sermo est. Alia vero concernunt ipsam ordinatam causæ cognitionem: puta, quod sententia sit conformis juri, atque libello; sit certa, et non lata sub conditione, ac hujusmodi: atque de istis commodius agetur paragrapho sequenti. Quo prænotato.

58. *Ad eam requiritur cum primis citatio partium. Sed legitime citans, et contumaciter absens, habetur pro præsentis.* — Resp. I. Facta a partibus conclusione in causa, ut supra, iudex allegata et probata omnia diligenter examinabit, iisque mature discussis sese accinget ad causæ principalis decisionem, prolaturus super ea sententiam diffinitivam: in quem proinde finem requiritur imprimis, ut iudex sententiam laturus citari faciat pro certa die utramque partem litigantium ad audiendam sententiam; idque vel trina citatione, vel saltem una peremptoria. Textus est in l. *Ea quæ. c. Quo modo et quando iudex sententiam proferre.* etc. ubi sententia lata contra absentem non solemniter citatum, dicitur nulla: et l. *Consentaneum. c. eod. et l. De unoquoque. ff. de Re iudicata,* cum similibus. Quod si vero legitime citatus, contumax fuerit, ac cessante justo impedimento noluerit comparere, id non obstat, l. *Contumacia. ff. de re iudicat. et c. Cum Bertoldus. 18. h. t.* Nam legitime citati, et contumaciter absentes, habentur pro præsentibus, l. *Properandum. § Sin autem reus. juncta Glossa §. Dei præsentia. c. de Judiciis:* atque eorum contumacia liti damno coercetur cit. l. *Contumacia.*

59. *Ad sententiam diffinitivam requiritur, ut sit redacta in scripturam, atque a iudice ex scriptis proferatur, et cur?* — Requiritur secundo, quod sententia diffinitiva redacta sit in scriptura; et postquam scripta fuerit, a iudice, et non ab alio, de scripti recitatione proferatur: adeo, ut alias nec nomen sententiæ mereatur habere, nec ab ea sit appellare necesse. Ita textus expressus in cap. ult., h. t. in 6. et l. II. c. *de Sententiis ex breviculo recitandis.* Ubi et hujus ratio indicatur, atque notat Abbas c. *Sicut nobis. n. 24. h. t.* nempe, ut sententia cum majori moderamine proferatur; seu, ne forsitan alioquin iudices proferant subitas sententias, aut etiam in earum prolatione errent, vel alius ipsas recitando nonnihil immutet: unde debent iudices, habita matura deliberatione, sententias ponderatas sibi antea formare, et

emendatas in libellum conferre, scriptasque ex libello partibus legere: invocato tamen prius Christi nomine; ut c. *Veritatis. 8. § fin. et Abbas, ibid. n. 11. de Dolo et contumacia. et c. In nomine Domini. 2. de Testib. ac solum Deum, seu causæ justitiæ æquitatemque præ oculis habendo.*

60. *Episcopi, et personæ illustres, possunt sententiam per alium recitare.* — Excipiuntur tamen hinc episcopi, atque personæ illustres: nam his ob dignitatis prærogativam licitum est, sententiam a se ferendam per alium recitare, seu partibus publicare. Textus est expressus in cit. cap. ult. h. t. in 6. et l. II. c. *de Sententiis ex breviculo recitand.*

61. *Sententia diffinitiva debet proferri a iudice sedente.* — Requiritur tertio, quod sententia proferatur a iudice sedente, et non stante, vel ambulante, d. cap. ult. h. t. in 6. Ubi additur, quod si sententia diffinitiva a iudice litigatoribus non legatur, vel stando, non sedendo proferatur, nullius penitus sit momenti. Concordant dicta superius § præced. n. 29. et 30.

62. *Et quidem sedente pro tribunali, sive in loco consueto.* — Requiritur quarto, ut sententia proferatur a iudice, non quomodocunque sed sedente pro tribunali; sive in loco publico, ubi antecessores sui jus reddere consueverunt, l. *Cum sententiam. C. de Sentent. et interlocut. omn. jud. et l. penult. ff. de Jstit. et jur.*

63. *Episcopus potest in quolibet loco non exempto suæ diocesis sedere pro tribunali. Quid in delegato, aut si locus consuetus non est totus.* — Verumtamen episcopus in quolibet loco suæ diocesis non exempto, per se, vel per alium potest pro tribunali sedere, c. *Cum episcopus. 7. de Offic. ordinar. in 6.* Sicut et iudex delegatus ad aliquam causam particularem, cum certam sedem deputatam non habeat, potest locum juris dicendi causa, honestum tamen, sibi eligere, l. *Si cum dies. § Si arbiter. ff. de Receptis arbitris.* Potest etiam iudex ferre sententiam in loco non consueto, si locus consuetus non sit tutus; aut si episcopus vi expulsus sit extra suam diocesis. Vallensis, h. t. § 3. n. 4.

64. *Sententia est ferenda de die, et quidem non feriato. Et quid, si feratur de nocte.* — Requiritur quinto, ut sententia feratur de die, et non de nocte, c. *Consuluit. 24. de Offic. Delegat.* quamvis Glossa ibid. §. *Tenebras.* et Joan. Andreas, n. 32. et Abbas, n. 14. ibid. arbitrentur, valere sententiam de

nocte prolatam, quando iudex adhibuit lumen nec partes contradicunt: secus, si alterutra pars peteret licentiam recedendi, eo quod sit tempus quiescendi; nam si denegaretur petita licentia, posset licite appellare, nec valeret, si quid postmodum attentaretur. Insuper requiritur, ut sententia feratur die non Feriato, cap. ult. *de Feriis.* cum similibus.

65. *Solemnitates hujusmodi adeo requiruntur, ut ipsis non observatis sententia diffinitiva regulariter ipso jure sit nulla.* — Resp. II. Hujusmodi solemnitates adeo requiruntur, ut ipsis non observatis sententia diffinitiva, lata in iudicio ordinario, regulariter loquendo reddatur ipso jure nulla. Ita clare habetur cap. ult. h. t. in 6. et aliis juribus hactenus citatis, ubi expresse dicitur, sententiam aliter latam « nullius penitus esse momenti; » vel, « judicatæ rei firmitatem non obtinere, » etc.

66. *Secus dicendum de sententia interlocutoria.* — Additur primo in hac conclusione, « sententia diffinitiva. » De hac enim procedunt hactenus dicta: siquidem sententia interlocutoria non necessario requirit omnes enumeratas solemnitates: ut puta, non necessario recitatur ex scripto, sed potest etiam proferri verbis; juxta Glossam in cit. cap. ult. h. t. in 6. §. *Diffinitiva.* junctis dictis supra 29. et seqq. ubi plures aliæ differentię inter sententiam interlocutoriam, et diffinitivam referantur.

67. *Et de sententia lata in iudicio summano.* — Additur secundo, « lata in iudicio ordinario. » Nam in iudicio summano, seu causis illis, in quibus simpliciter ac de plano, et sine trepitu iudicii proceditur non requiri omnes prædictas solemnitates ad sententiam judicialem, ejusque validitatem; habetur expresse decisum in Clem. *Sæpe contingit. de Verb. signif.* Estque hoc jam dictum supra tit. *de Judiciis. § 2. n. 41. 43.* et seqq. ubi simul declaratur, quænam sint causæ illæ, in quibus summariter, et de plano, seu sine strepitu iudicii procedi potest.

68. *Atque in aliis certis casibus, in quibus fallit data regula; et quales sint illi?* — Additur tertio, « regulariter loquendo. » Nam hoc ipsum fallit in certis casibus; quorum plures enumerat Glossa cit. cap. ult. §. *Illustrium.* h. t. in 6. Ut, quando causæ sunt leves, ac modici momenti, v. g. duorum aureorum: item, quando lites sunt breves, et maxime vilium personarum: quia tunc non est opus sententiam ferri ex scriptis, Auth.

Nisi breves. C. de Sententiis ex breviculo recitandis. Idemque dicendum de papa, vel alio principe supremo, qui per se pronuntiat: nam is est legibus solutus, ac præsentia ejus supplet omnem solemnitatem. Item, si episcopus de causa civili iudicat inter clericos, can. *Si qui cum Clerico. 11. q. 1. et cit. Auth. Nisi breves. C. de Sentent. ex breviculo recit.* aut, quando factum est notorium; adeo, ut liquido constet, nullam reo competere defensionem: valet enim sententia tunc lata contra absentem, etiam non citatum; ut c. *Cum olim. 12. § fin. h. t.* Rursus ex consensu partium potest iudex ordinarius sententiam ferre in alio, quam ordinario loco iudicii; modo non egreditur fines territorii sui. Vallensis, h. t., § 3, n. 4; Pirhing, eod. n. 2. et alii.

69. *Consuetudo locorum, seu stylus singulorum tribunalium, in proposito attendi debet.* — Tacetur specialis consuetudo locorum, ut pote per quam nonnullæ solemnitates juris remitti valent, per textum in cap. ult. *de Consuetud.* Unde notat Engel, h. t. in 6. quod licet omissio cujuscunque solemnitatis substantialis, ipso jure sententiam reddat nullam; ut cap. ult., h. t. in 6. nihilominus hodie magis ad stylum singulorum tribunalium, atque rationabiles consuetudines locorum sit attendendum.

§ III.

DE REQUISITIS SENTENTIÆ DIFFINITIVÆ ORDINATAM CAUSÆ DECISIONEM RESPICIENTIBUS.

70. *Sententia judicialis debet esse juri conformis: alioquin ipso jure foret nulla.* — Quæritur I. Utrum sententia debeat esse juri conformis, et quomodo? Resp. I. Certum est, quod sententia judicialis debeat esse juri conformis; id est, non lata contra jus clarum, et indubitatum: alioquin enim ipso jure foret nulla, licet ab ea non fuisset appellatum. Ita communis, juxta textum expressum in cap. i. h. t. ibi: « Sententia contra leges, canonesque prolata, licet non sit appellatione suspensa, non potest tamen subsistere ipso jure. » Concordat textus l. *Si cum inter te. c. Quando provocare non est necesse, et l. Si expressim. ff. de Appellation.* cum similibus: ubi sententia, quæ continet expressum juris errorem, censetur nulla; adeo, ut appellatio ab ea non sit necessaria. Nam, « quæ contra jus fiunt, debent utique pro inelectis